

POEMA EPICO LATINO, 35

Y SU TRADUCCION ESPAÑOLA, 5

CON QUE LA REAL UNIVERSIDAD

DE CERVERA APLAUDIA EL ALEGRE ARRIBO

DE SUS MAGESTADES,

Y ALTEZAS

EL REY NUESTRO SEÑOR

DON CARLOS

TERCERO DE BORBON,

LA REYNA NUESTRA SEÑORA

DOÑA MARIA

AMELIA DE SAXONIA.

Y LOS SEÑORES

INFANTES, E INFANTAS,

SUS AUGUSTISSIMOS HIJOS.

---

*Con licencia:* Cervera, en la Imprenta de la Universidad  
por Antonia Ibarra viuda. M.DCC.LVIII.

POEMA EPICO LATINO

Y SU TRADUCCION ESPAÑOLA

CON QUE LA REAL UNIVERSIDAD

DE CERVERA AFIANZA EL ALFEBRE ARRISO

DE SUS MAGESTADES

Y ALFEBRE

EL REY NUESTRO SEÑOR

DON CARLOS

TERCERO DE BORBON

LA REYNA NUESTRA SEÑORA

DOÑA MARIA

AMELIA DE SAXONIA

Y LOS SEÑORES

INFANTES, E INFANTES

SUS AUGUSTISIMOS HIJOS

---

Con licencia de Cervera, en la imprenta de la Universidad  
por Antonio Ibarra viuda. M.DCC.LVIII.



IN ADVENTV  
 CAROLI III. BORBONII  
 HISPANORVM REGIS,  
 MARIAE AMELIAE SAXONICAE  
 HISPANORVM REGINAE,  
 REGIORVMQVE FILIORVM,

CARMEN EPICVM

AD ACADEMIAM CERVARIENSEM,  
 AVCTORE, EX MANDATO ACADEMIAE,  
*Blasio Larráz, Doct. Theol. e Societate Jesu,*  
*& Humaniorum Litterarum*  
*Professore.*

**H**VC violas, huc ferte rofas, huc lilia plenis  
 Ferte citæ manibus vestri de vertice Pindi,  
 Borbonides Musæ, & pulchras properate coronas.  
 Non iam fama modo venturi nuntia Regis  
 Excitat ad plausus, & gaudia vestra reposcit.  
 Ipse sed augusta se maiestate tuendum

A 2

Caro-



4  
Carolus , hoc tanto qui nomine Tertius urbes  
Hispani regat imperii , populosque beatos,  
Præbet , & Hesperiam præsens iam numine complet.  
Nulla dies vestris radiarat lætior annis  
Ex quo Borbonius Rex & Pater ille Philippus  
Struxerat has vobis sedes , molemque superbam,  
Regalesque suas dederat vos esse Camoenas.  
Sensi ego ut exultans niveum caput alta Pyrene  
Erigeret procul , adventus & conscia tanti  
Læta saluaret vasto cum murmure Regem.  
Sensi ut multiiugos nectens Idubeda montes,  
Et late sparsis ut Orospecta collibus , ipso  
Admonitæ strepitu , frondosa cacumina magno  
Concuterent plausu , populosque , urbesque cierent.  
Iam Tagus , & Batis , rapido iam Durius amne,  
Atque oculos qui ludit Anas , & magnus Iberus,  
Et Sucro , & Sicoris , quæ & cetera cumque feracem  
Sparsa per Hesperiam fecundant flumina campos;  
Innectunt virides præincta fronde capillos,  
Gaudentesque vocant placida ad convivia Nymphas.  
Mla



Illæ , florigeris redimitæ tempora fertis,  
 Vndique concurrunt ; audito & nomine Regis,  
 Adventuque , super viridantia gramina lætas  
 Instituunt choreas , & vocibus aëra pulsan.  
 O felix una ante alias urbs Barcino ! visum  
 Quæ prima in Reges potuisti intendere , prima  
 Cominus adspicere , atque oculos explere tuendo.  
 Quis tuus ille fuit cernentis talia sensus ?  
 Quum procul ex alto classis se Hispana videndam  
 Obtulit , & notis radiarunt signa trophæis ;  
 Quum gravis augusto sub pondere regia puppis,  
 Attonitumque premens excelsis arcibus æquor,  
 Noscendam in mediis tandem se præbuit undis ;  
 Quum pigras horas , quum tempora pigra vocares,  
 Et premeres avidis ventosque & vela querelis ;  
 Quum portum tetigere rates ; quum classica in altis  
 Moenibus , inque ipsis latum insonuere carinis,  
 Martiaque horrendum tormenta dedere fragorem.  
 Interea augusto Rex , & Regina triumpho,  
 Regalisque omnis soboles , spes pulchra Parentum,  
 Na-



Navibus expositi, mediis in millibus ibant;  
 Tutaque, Neptuno frustra moerente, tenebant  
 Litora: tu plaudens, tu dulcia nomina Regum  
 Plausibus ingeminans, neque lumina fida retorquens,  
 Pone sequebaris; donec, splendentibus alte  
 Excepti tectis, regali in sede quierunt.  
 Tunc hilares fulsere dies tibi, Barcino; & almæ  
 Lætitiæ indulgens; argento, auroque corusca,  
 Regifico & splendens luxu; spectacula, tantis  
 Principibus non æqua quidem, sed nomine certe  
 Digna tuo, atque opibus, rota plaudente dedisti  
 Hesperia; & certis testata es gaudia signis.  
 Esto tibi hanc sortem dederit fortuna; vicissim  
 Nunc nos nostra manet: nostræ iam Carolus urbis  
 Pertingit fines, agri qua in limine primo  
 Structa triumphali confurgit fornice moles,  
 Urbis & inscriptum venienti obtendit amorem.  
 Iamque viri, & matres, pueri, innuptæque puellæ;  
 Excierat quos Regis amor, studiumque videndi,  
 Et patria augusto semper devota Philippo;

Ad-



Adproperant denso stipantes agmine currus,  
 Qua via se late positus longo ordine pandit  
 Hinc inde arboribus, crebros & frondibus arcus  
 Innectens, recto deducit tramite in urbem.  
 Audite, o Musæ, lætis clamoribus altum  
 Ut coelum incendant: Vive, o Rex Carole, vive,  
 Vive diu felix; felix &, Amelia, vive,  
 Vive diu, Regina; diu quoque, Regia proles,  
 Vivite felices; filii Rex digne Philippi,  
 Carole, vive diu. Sed iam Rex Carolus urbem  
 Interea ingreditur: properate, & adeste, Camoenæ,  
 Vestrasque ante ædes, ornatae insignibus artis  
 Quæque suæ, dulcem media inter millia vocem  
 Tollite, quæ ingenitum Regi testetur amorem,  
 Quæ & vos Borbonio testetur sanguine cretas.  
 Hic vos fas animos, hic fas spectando beare  
 Lumina, & augustam, quanta est, expendere pompam.  
 Non tamen hanc, oculis poterit quæ pompa videri,  
 Vos solam spectare decet; peditumve cohortes,  
 Aut equitum turmas, aut duri tympana Martis,  
Arma-



Armave, clangentesve tubas, Procerumve phalanges,  
 Splendentesve auro currus: sed (quæ indita vobis  
 Mentis inest acies, & vis sine corpore formas,  
 Non secus atque oculis quæ sunt subiecta, tuendi.)  
 Longe alii pompæ, & maiori advertite mentem.  
 Namque agmen deducit ovans longissima Regum  
 Magnorum series, gessere Hispanica quotquot  
 Sceptra olim; quorum nunc omnis gloria in uno,  
 Carole, te sistit; teque unum pluribus æquat.  
 Ante omnes nitet invictis Athaulfus in armis,  
 Cui peperit pulchras Narbona, Tolosaque lauros,  
 Et qui, Vasconibus victis, te, Barcino, sedem  
 Constituit regni, Gothico de sanguine primus.  
 Proximus hunc sequitur Sigericus; tuque potenti,  
 Vallia, qui dextra potuisti & Suevica tela,  
 Vandalicasque acies, & Alanica fundere castra.  
 Mox Theodoredus, bello tuus, Attila, quondam  
 Illustris domitor: mox Turismundus; & omnes  
 Tres & triginta, Gothica qui e gente creati  
 Regnarunt primi, donec Rodericus, & una

Pane



Pæne omnis misero concessit Iberia fatō.

Illis te comitem, Pelagi, præeuntibus addis;

Insignis Pelagi, quo vindice surgere rursus

Coepit, & Hispani florescere gloria regni.

Quatuor hic iuxta & quadraginta ordine Reges,

Ipso etiam Gothico, mixto sed sanguine nati,

Gressibus incedunt paribus, quos martia virtus,

Multaque Maurorum strages, crebrique triumphi

Illustres faciunt, veterumque heroibus æquant.

Illic Alphonfos; illic, clarissima semper

Nomina, Fernandos est cernere. Tu tamen inter

Alphonfos super eveheris, quem nomine tanto

Octavum Castella vocat: tu regia lauro

Tempora cingis adhuc, Maurorum & cæde cruentus

Ad crucis æternos stimulas tua regna triumphos.

At longe maior, Superumque augustus honore,

Tertius hoc urbes qui nomine rexit Iberas,

De cœlo Fernandus adest, magnoque Nepoti,

Conanti quamvis, Proavique exempla sequenti,

Addit adhuc stimulos, iter & commonstrat ad astra.

B

Sed



Sed cur me fessum vultis numerando, Camœnæ?  
 Aut cur quemque suo compellem nomine? quorum  
 Nomina vos opus est meminisse, & noscere facta.  
 Cernitis Austriaco clari de sanguine Reges  
 Sex numero ut læti incedant, hinc unus, & alter  
 Carolus, ex alia gemini bis parte Philippi?  
 Non solum hos vester vocat huc Rex Carolus; ipsa,  
 Ipsa sibi hanc etiam deposcit Amelia pompam;  
 Quam, cum Saxonico per fœdera pulchra revinctus,  
 Austriacæ quoque tangit honos, & gloria gentis.  
 Ecquæ autem sequitur nova Regum turma? Caperum  
 Hugonem hic video, trigintaque ordine primos  
 Quos dedit imperio Reges stirps tertia Gallo.  
 Quorum postremus, virtute & nomine Magnus,  
 Tu Lodoicus ades; gaudensque Nepotis honore,  
 Vnus in hunc omnem, quanta est ea gloria, transfers.  
 Quamquam tu, reliquo longe altior agmine, sacram  
 Diffundis lucem, simili quem nomine Nonum  
 Gallica regna vocant, & Christi Ecclesia Sanctum.  
 Tu, quondam Hispano per Matrem insignis honore,  
 Red



40  
Reddis sponte vicem, superisque huc lapsus ab astris,  
Hesperium decoras Francorum stemmate Regem.  
'At vos nunc doctam, si quando, advertite mentem,  
Musæ Borbonides; & in hos intendite visum,  
'Agmina qui claudunt regalia. Cernitis illum,  
Quem medium multo spectandum numine bini  
Deducunt nati? (vos o! cohibete, Camoænæ;  
Non licet affari, non oscula dulcia plantis,  
Invictæ aut dextræ fas nunc libare.) Philippus  
Ille est: ut, dulci cum maiestate serenos  
Convertens oculos, vos adspicit? ut Patre dignas  
'Agnoscat gaudens? ut vestri incensus amore  
Commendat Nato tacitus, pergitque tuendo?  
Hos autem, medius quos inter tendit; utrumque  
Noctis: is ad dextram viridis qui flore iuventæ  
Incedit splendens; ille est Lodoicus, Iberis  
Ostensus tantum, & superis mage debitus astris:  
Hic vero ad lævam, ramis præcinctus olivæ,  
Et divam toto complectens pectore pacem;  
Hic est Fernandus: blando in vos lumina vultu

B 2

Adspice



Adspicite ut flectat, vestri memor usque, Camoenæ,  
 Fortunati ambo! regnis quod tantus utrique  
 Succesit Frater; tanto quod uterque Parenti.  
 Nunc Fratrem augusta gaudent deducere pompa;  
 Deque suis optant illi ut Deus augeat annos.  
 Ecce autem extremus, cumulanque tot agmina Regum,  
 Cunctorumque instar, famamque decusque, per omnes  
 Sparſa, in se referens; iam tandem Carolus ori  
 Sistit se vestro, & vestrum rapit unus amorem,  
 Regales Musæ: nunc fas, nunc lumina dulci  
 Explere obtutu, pigrasque ulciscier horas.  
 Quanta micat vultu maiestas! quanta ferenis  
 Lux oculis splendet! quam spirant pectora Martem!  
 Quam multis toto produnt se corpore signis  
 Regales animi! quam multis regia virtus!  
 Ut Patre, ut Proavis, ut tot præeuntibus ille  
 Agminibus Regum soboles dignissima fulget!  
 Talia cernentum, tantoque in Rege morantur,  
 Tu poteras, tu sola alio, Regina, vocare,  
 Et rapere, inque tuam visum convertere formam.  
Proh



Proh quāntus, Musæ, splendor! proh quāta venustas  
 Augustæ frontis! Quam dios spirat honores  
 Maiestas toro prædens se regia vultu!  
 Quanta illic gravitas! quanta illic gratia! quanta  
 Fulget amabilitas, veniensque in foedera virtus!  
 Cernite florenti sobole ut circumdata, gaudens,  
 Borbonii numquam morituri sanguinis almam  
 Spem regno ostendat; veluti & Berecynthia quondam  
 Lata Deum partu Phrygias est dicta per urbes  
 Curru excelsa vehi; partu sic illa triumphans  
 Magnorum Regum, Reginarumque potentum,  
 Tendat, & Hispanas ad gaudia provocet urbes.  
 Non, centena forent vobis si lumina, Musæ;  
 Possesitve oculis ipsum superare vel Argum;  
 Fas foret hic tantam tantorum haurire videndo  
 Progeniem Regum: tam multo in Principe Patrum  
 Fulgurat & virtus, & forma augusta refulget.  
 Felicem vero Hesperiam! felicia regna!  
 Tanta repente quibus lux est oblata salutis;  
 Rex novus, ast usu regnandi atque arte magister;  
 Tum



Tum Rege & regno facile dignissima coniux;  
 Et cumulans summam votorum augusta propago,  
 Servatura diu tantorum sceptrum parentum.  
 Sic vos, Regalis soboles, nova gaudia nostra,  
 Magnorum spes læta Patrum, spes læta potentis  
 Hesperiae, charitum labor & iucunda voluptas,  
 Deliciae terræ, & Superum iustissima cura;  
 Sic vos, sic felix maneat fortuna; diemque  
 Tempora fausta ferant, quum, Patre superstiti, vestros  
 Cernere possit ovans Mater Regina triumphos,  
 Et pulchra insignes Natarum in fronte coronas.  
 Tuque oculos, tu nostra rapis qui pectora, & omnem  
 In te qui Hesperiae revocas gaudentis amorem,  
 Regalis Franciscæ Puer; tu, Matris in alium  
 Intentus gremium, nostra hæc non talia curas,  
 Aut audis tu vota modo: sed cuncta Parentes,  
 Germanique tibi Fratres, dulcesque Sorores  
 Narrabunt olim; Musarum & carmina læta  
 Borbonidum memores referent; quantisque receptus  
 Plausibus, Hispanas aliquando intraris in urbes.

Sed



42

Sed diversa vocat vos iam modo pompa , Camœnæ,  
Et nova se ostendunt cupidæ spectacula menti.  
Cernitis has , longo quæ incedunt ordine Divæ,  
Aureaque intextis referunt vexilla figuris?  
Hæ sunt , hæ vestri virtutes Regis ; & ipsum  
Quæque suis sequitur , plauditque sequuta trophæis.  
Illic armatas acies est cernere , pugna  
Iam signo intentas , peditumque , equestrumque tumultus ;  
Præliaque , & cinctas urbes , discisæque duris  
Mœnia tormentis , & captas hostibus arces.  
Tu primum intexto fabricata Neapolis auro  
Splendes ; hinc portis fugientes mittis apertis  
Hostiles turmas ; Hispana inde agmina muris  
Excipis , & lætos victoribus addis honores.  
Bis geminæ assurgunt arces ; & fervida circum  
Pugna furit ; crebro pars ariete mœnia pulsat ,  
Pars aditum tentat scalis , muroque potitur.  
Nec procul hinc , hilares populo plaudente triumphos ,  
Ex urbe , atque ipsis iam pulso ex arcibus hoste ,  
Carolus ingreditur , regnique capessit habenas.

Parte



Parte alia apparet non magna mole Bitontum;  
 Et iuxta commissæ acies, inimicaque turpi  
 Agmina versa fuga: procul ardua moenia Barl  
 Piscosi assurgunt, circumvallataque late  
 Machina murorum, cedensque ex arcibus hostis.  
 Quin & Brundisium captam, Capuamque superbam,  
 Caietamque licet spectare, altosque frementem,  
 Carole, te ad muros, ferrumque ignemque minantem  
 His aliisque super monumentis bellica Regis  
 Ostentat se se, & toto micat agmine virtus.  
 Proxima sed totidem se se sapientia prodit  
 Regia, & imperio populos ars alta regendi.  
 Hic & magnificis exstructæ molibus urbes,  
 Surgentesque novis apparent moenibus arces.  
 Hic lætas agri segetes, hic litora portus  
 Ostendunt tutos, ornatasque æquora classes.  
 Hic acies, & signa micant; pulchroque iuventus  
 Ordine sub muris gaudens se exercet in armis.  
 Artibus hic alii incumbunt, operumque labori;  
 Exportant alii merces, aut pondera magnis

Na-



Navibus imponunt; labor undique fervet honestus.

In medio placidos agitans Pax diva triumphos

Splendet: cui coetu sapientum cincta Minerva

Addit se comitem, & doctas secum advehit Artes.

Illæ laurigeris redimita fronte coronis,

Ornatæque auro, & coelo capita alta ferentes;

Incedunt; Regique sacrum pæana canentes

Præbent se memores, & honorem laude rependunt:

Tu tamen, Ars, totam cui se veneranda vetustas

Commisit curæ, sua cui monumenta tueri,

Scrutarique dedit, veteresque evolvere casus;

Tu reliquas inter Artes gratissima Musis

Borboniis affers spectacula. Cernite quali

Mole ibi confurgat Vesuvius, ignea late

Saxa vomens, fumique globos: procul inde profundum

Apparet specus, & vasto se extendit hiatus.

Illic tu multos quondam ignorata per annos,

Abditaque antiquis terræ intra viscera sæclis,

Heraclea, vias, molesque, domosque repandis;

Et fora, & erectis surgentia templa columnis,

C

Et



Et pictas tabulas, atque æra, & marmora signis  
 Aspera; magnificos quos Græcia docta labores  
 Fecerat, & claram pretiosa ornaverat urbem.  
 Fortunatam urbem! neque iam tua nomina ferre  
 Dignantem, Alcides; quibus olim condita quamvis,  
 Haud potuit miseram vitare sepulta ruinam:  
 Sed potius magni appellandam ex nomine Regis  
 Carolidam; tantoque dehinc auctore superbam,  
 Duraturam ævo felicius usque futuro.  
 Illæ autem sacro radiantes lumine Divæ,  
 Quæque pares celerant gressus, quæque aurea tollunt  
 Signa pares; nosco vultus, & nomina nosco;  
 Hæ sunt Iustitia, & Superis carissima semper  
 Relligio. Expressam variatis prima figuris  
 Astræam obtendit; cœlo ut descendat ab alto;  
 Ut Regi assideat; divinum ut præbeat ensen.  
 Stant lectæ circum comites, & dulcis honestas,  
 Et secura quies, & quæ facit una beatos  
 Alma fides populos, pudor, & reverentia legum.  
 At procul insidiæ, fraudesque, & perfida furta,  
 Et



Et vindicta ferox, & cædum dira cupido,  
 Constrictis similes, poenamque timentibus, horrent.  
 Nec minor ex alia sistit se parte trophæis  
 Relligio spectanda suis. Hic Carolus astra  
 Suspiciens, sceptrumque manu, regaleque tendens  
 Ad superum diadema polum, Divina precanti  
 Numina, & oranti similis, felicia captat  
 Auspicia, atque inito spondet fausta omnia regno.  
 Hic & Divinam Matrem; se semper Iberum,  
 Borboniumque probans pietate, & sanguine Regem;  
 Cernitur ut pronus veneretur, creber & ipsi  
 Solvat vota lubens, & regni tradat habenas.  
 Hic & Romani flectens ante ora Parentis,  
 Vrbe sibi plaudente, genu; demissus adorat  
 Sponte pedes; Regumque tibi Rex maxime, Christe,  
 Cuius ibi & fasces & sceptrum vicaria noscit,  
 Imperium, & summos regni submittit honores.  
 Tu quoque, Pontificè Beneventi quem insula quondam  
 Cinxerat, & fuso quem sanguine clarius ornat  
 Martyris almus honor; tu, clara Neapolis aras



Cui sacrat, & tanto quo stat, stabitque patrono;  
 Hic, inquam, spectandus ades: Rex Carolus ostro,  
 Auroque insignis, magna ante altaria se se  
 Supplicis in morem sistit tibi, totaque secum  
 Robora militiæ; ducis atque insignia sacra  
 Ipse aptans dextræ, regni te præficit armis.  
 Non procul ardenti similis, similisque minanti,  
 Prætendens regale manu diploma, videndum  
 Præbet se Princeps: Iudaica multa propago  
 Cernitur ad lævam, ut, foedo suffusa pudore,  
 Exitium infelix, & Principis horreat iras.  
 Nos tamen hæc celeres spectando ducimus horas;  
 Borbonides Musæ; &, regales Carolo in ædes  
 Iam dudum ingresso, vos ad diversa vocatas  
 Admonet officium, & vestri reverentia Regis.  
 Quare age, tuque istas, Academia Mater, in aulam  
 Duc properans, lauro cinctas, pompaque decoras,  
 Qua genitas tanto par est e Principe Musas.  
 Inde ubi regales iam tandem adveneris ædes,  
 Regeque iam fuerit coram data copia fandi;  
Tunc



Tunc primum demissa oculos, tacitumque pudore  
 Obsequium testata gravi, te siste; tuasque  
 Principis ad solium tecum provolve Camoenas.  
 Ipsa tamen propius Regem venerata, tenensque  
 Augustos defixa pedes, ibi dulcia plantis  
 Oscula deliba, & satura, dum detur, amorem.  
 Mox venia, facilis tibi quam dabit ille tacenti,  
 Attollens, figensque sacro tua lumina vultu,  
 Vultu, quo populos urbesque & regna seremat,  
 Incipe: Magnanimi soboles o digna Philippi;  
 Lux alma Hispanæ, spes & fidissima gentis,  
 Ecce tuos complexa pedes, tibi, maxime Regum,  
 Devota ante omnes, & amantior omnibus adsum.  
 Non mea tu, Princeps; quamvis augustus, & alto  
 Insistens folio; non dedignabere verba  
 Audire, & natas studioso e pectore voces.  
 Nam quamquam subiecta cliens, & humillima sisto  
 Me tibi, & hanc unam cunctis ego præfero sortem;  
 Regali sum stirpe tamen; quin unus & idem  
 Te Pater & genuit; mox & me condidit Auctor.  
 Aspi-



Aspice gentili quæ tollam stemmata parma,  
 Divinam, Puramque omni sine labe Parentem:  
 Hæc pius, hæc magnus tribuit mihi Lilia Princeps,  
 Quæis me Borboniam, tantoque e Rege probarem.  
 Quo si nostra satis signo regalis origo  
 Haud testata foret; se proderet ipsa flagranti,  
 Quo in te accensa feror, cerni si posset, amore.  
 Me, me igitur, regnis placida iam pace quietis,  
 Borbonias inter lauros, interque triumphos,  
 Magnanimus Princeps, uti Pallada Iupiter olim  
 Armatam e cerebro, sic celsa e mente Philippus  
 Edidit illustrem, primaque ab origine magnam.  
 Me patriis fovit curis, mihi iura paterno  
 Indulfit studio; quin nulli omnino secundam  
 Me voluit, quotquot totas Europa per urbes  
 Musarum agnoscit celebrato nomine Matres.  
 Hæc ego quum reputem, quumque alta mente repositus  
 In me Patris amor, iucundaque vivat imago;  
 O quibus, o quantis opus est ut læta triumphem  
 Lætitiis, Rex magne! tibi me sistere coram  
Quum



Quum datur, atque istos revereri & cernere vultus:  
 Quum datur usque tua spirantem in fronte Philippum  
 Adspicere, & magna redivivum in prole Parentem.  
 En tibi (namque aliis qui tantum prosequar ipsa  
 Obsequiis Regem, mundus cui paret uterque?)  
 En, inquam, tibi sisto meas, tibi consecro Musas;  
 Quin ipsæ potius se se, iam sponte volentes,  
 Optantesque, tuis sistuntque sacrantque sub aris.  
 Iam tua magnificis excrecens gloria factis,  
 Claraque virtutum late iam sparsa per orbem  
 Fama, diu intentas habet in te, Carole. Maeste;  
 Maeste igitur, Princeps, maeste inclite; & istud honoris  
 Tam longe iam mensus iter, tu perface felix.  
 Interea Superi florentia regna, diuque  
 Florentem sobolem, dulcesque videre nepotes;  
 Concedent merito; tuaque inclita gesta parabant  
 Argumenta meis ad grandia carmina Musis.  
 His vocem abrumpes dictis, Academia; tuque  
 Plura licet Regi meditatam, ac plura volentem  
 Dicere, te cohibe: namque ut sit sponte benignus;  
 Atque,



Atque, uti Rex hominum, sic humanissimus idem;  
 Haud vacat ingenti regnorum pondere presso,  
 Distracto & curis, longo in sermone morari.  
 Te tamen adspiciet placidus, cecidisseque gratum  
 Innuet obsequium; quin figere dulcia dextra  
 Oscula permittet facilis; tua cuncta reponens  
 Dicta animo, recolensque memor; multusque Philippus  
 Mente recurfabit Nati, pectusque ciebit.  
 Ergo ubi Reginam, Regalemque ordine Prolem  
 Læta salutaris, teque omnibus ordine coram  
 Obsequiis stiteris paribus; tum denique forte  
 Iure tua exultans, & honoribus aucta recedes:  
 Vosque diem tantum super auro adamanteve, Musæ,  
 Addetis fastis, & dulcia nomina Regum.  
 Illi inter plausus, populique fidelis honores,  
 Et festos ludos, grata & convivia, multam  
 Traducent noctem, donec defessa labore,  
 Deque via, placido componant corpora somno.  
 Ast ubi prima diem mortalibus afferat alnum  
 Aurora exoriens; nisi si, Deus optime, nobis  
Tu



Tu mellora paràs ; iam res nos publica tantis  
 Non finet hospitibus diuturnius esse beatos :  
 Sed frustra nobis moerentibus , omneque longe  
 Intentis oculis , animisque , sequentibus agmen ;  
 Finibus excedent. O ! saltem pergite faustis  
 Ominibus , Regale genus ; quo gloria magni  
 Vos vocat imperii ; quo tot iam fessa morarum ;  
 Impatiensque diu , studioque incensa videndi ,  
 Elisabetha vocat ; Mater Reginaque Regi ,  
 Augustæ & Nurui , carisque Nepotibus ardet  
 Oscula libare , & collo dare brachia circum.  
 Fortunata parens ! cui gaudia tanta benigni  
 Iam celerant Superi , meritæque hæc præmia servant.  
 Quin vos ipse vocat , nostri spes altera regni ,  
 Alteraque Hesperia Lodoicus gloria , vixque  
 Iam pridem ille moras , fraternum & durat amorem.  
 Ergo agite , & tanta donare fruique vicissim  
 Lætitiæ , auspiciis vos iam properate secundis.  
 Tuque , decus nostræ , neque vana superbia gentis ;  
 Rex digne Hesperia , magno Rex digne Philippo ;

D

I bo-



I bonus, i felix; celsoque e vertice regni  
 Imple fortuna imperium, virtutibus orbem;  
 Sæcula Borboniis plaudentibus aurea Musis.



EN EL ARRIBO  
 DEL REY NUESTRO SEÑOR  
 DON CARLOSTERCERO,  
 DE LA REYNA NUESTRA SEÑORA  
 DOÑA MARIA AMELIA,  
 Y DE SUS REALES HIJOS,  
 POEMA EPICO  
 A LA UNIVERSIDAD DE CERVERA.

SU AUTOR, POR ENCARGO DE LA UNIVERSIDAD,  
 el P. Blas Larráz, Doctór Theologo de la Compañía  
 de Jhesus, y Cathedrático de Letras  
 Humanas.

**A** Qui violas fragrantés, aquí rosas  
 De esse Pindo trahed, Musas dichosas  
 De la Borbonia Cervariense Athenas;  
 Trahed puras y suaves azuzenas;  
 Dàos prisa en formar con mil primores  
 Guirnaldas bellas de texidas flores.

D 2

Lo



Lo que al aplauso, lo que al gozo os llama,

Ya no es sola una fama,

Ni de que el Rey vendrà solo un aguero;

El gran Monarca Carlos, que el Tercero

De tan augusto nombre, tiene el mando

De la España feliz, la està ya honrando;

Por sì mismo à sus pueblos ya presenta

Toda la magestad, que augusto ostenta;

Y llegado al país del reyno Hesperio,

Llena, aun mayor, lo grande de su imperio;

No, no rayò otro dia

Mas brillante, ò mas digno de alegria;

Desde que el Gran Filipo el Animoso,

Rey y Padre, esse sitio magestuoso

Os diò, queriendo que sus Musas Reales

Os llamasse la España, y fueseis tales.

Yo mismo al Pyrineo percibia

Como su blanca cumbre excelsa erguia,

Y de tan grande arribo noticioso,

Con estruendo horroroso,

Que



Que en sus hondas cavernas resonaba,  
 Al nuevo Rey alegre saludaba.  
 A su ruido, yo ví que los collados  
 De Idùbeda, y Oròspeda, avifados  
 Con aplauso sus cumbres commovian;  
 Y cruzando los reynos, extendian  
 En un punto tan bellas novedades;  
 Llamando al gozo à pueblos y ciudades:  
 El gran Guadalquivir, el Tajo hermoso,  
 El Guadiana fugaz, el Duero undoso,  
 Xucar, Segre, Ebro, y quanto rio à España  
 Hace fecunda en su feliz campaña;  
 De festivas coronas se ceñian,  
 Y convite à sus Nymfas prevenian.  
 Ellas de suaves flores coronadas  
 De todas partes iban, y enteradas  
 Del arribo felice de su Dueño,  
 Con obsequioso empeño  
 Alegres danzas à su honor hacian;  
 Y el alto cielo con su aplauso herian.



O entre todas tu sola afortunada  
 Ciudad de Barcelona! à ti fue dada  
 La fuerte de que vieses la primera  
 Lucir cerca de ti la Real lumbrera,  
 Gozar su dulce encanto,  
 Saciar tus ojos con objeto tanto.  
 Què afectos eran los que tu sentias?  
 Quando ya descubrias  
 La Armada en alta mar: quando veleras  
 Las conocidas naves, sus vanderas  
 Y blafones mostraban: quando grave  
 Con el augusto peso la Real nave,  
 Cuyos altos alcázares tenian  
 Como atonito al mar, y lo oprimian,  
 Discernir se dexaba  
 En medio de las ondas, que surcaba:  
 Quando al tiempo, por mas que presuroso,  
 Lo acusabas de lento y perezoso;  
 Y embiabas, impaciente contra ellas,  
 A las velas y vientos tus querellas:  
 Quan-



Quando al puerto llegaron  
 Los buques finalmente, y resonaron  
 Los clarines en naves y murallas;  
 Y los rayos del Dios de las batallas  
 El arribo aplaudiendo  
 Tronaban ya con horroroso estruendo.

Entre tanto triunfantes  
 El Monarca, la Reyna, y los Infantes;  
 De los buques haviendo descendido,  
 A pesar de Neptuno, que afligido  
 Lamentaba su ausencia, ya seguros  
 Ocupaban la playa àcia los muros.  
 Tu alegre, y repitiendo  
 Sus dulces nombres, ibaslos siguiendo,  
 Hasta que al Real palacio en fin entraron,  
 Y en su brillante sitio descansaron.  
 Entonces, Barcelona, amanecieron  
 Tus mas alegres dias: y te vieron  
 Como à un gozo mui justo abandonada,  
 De oro y plata adornada

Con



Con aparato Real ; si no ofrecias  
 En los excessos , que sumptuosa hacias,  
 Objetos y espectaculos iguales  
 A la grandeza de Monarcas tales;  
 Pero si à la grandeza  
 De tu famoso nombre y tu riqueza,  
 Aplaudiendo entre tanto  
 La España toda lucimiento tanto:  
 Y dando tu con expresiones tales  
 De tu gozo y amor ciertas señales.

Bien va que la fortuna te haya honrado  
 Con fuerte tan feliz : pero ha llegado  
 Por su turno la nuestra ; ya el glorioso  
 Ya el deseado Monarca hace dichoso  
 Nuestro país ; ya llega à donde hermosa  
